


Phen. chi. str. ad

PANEG. et VITAE

Polon. 45

№ 620.



COLVNA OBORSCIANA, In Funere

Illustriss: ac Reuerendiss: D. D.

THOMÆ OBORSKI,
EPISCOPI LAODICEN.
Suffraganei Cracouien.

A

M. 10 ANNE CYNERSKI RACHTAMOVIO

Collega Maiore, ad S. ANNÆ Decano,


pio officio soꝝ cultu

posthuma memoria d. cꝝ.



CRACOVIAE,
Apud Valerianum Piętkowski, Anno 1645.

Dabo te in columnam ferream, & mu-
rum æneum, *Hier: c. 2.*



C. R. BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
GRACOWIENSIS

17368 I

*Aurea non cecidit, sed fixa Corona Columnæ est,
Quæ stabit seclis innumerabilibus.*

Simon Zawadzki
Phil: & eloq: Stud:

M. I.
Co

rap
faci
quod
dum
men
si vb
pote

nu- Perillustri & Adm: Rñdo Dño,

D. N I C O L A O
O B O R S K I,
Canonico Cracouien. &c. &c.

Domino & Patrono vnicè obseruando:

M. IOANNES CYNERSKI RACHTAMOVIVS,
Collega Maior, ad S. Anne Decanus, propensum in maro
resolatum p.



QUod nostrum omnium non
mediocriter percussit, Tuum
acerrimè prefodit pectus do-
lor, Perill: et Adm: Reñ: D:
Nimirum lutum sumus à
Prometheo lachrymis ma-
eratum, quicumq; in hanc
mortalitatis aleam, à natu-
ra penè dixerim nauseante proy-
cimur; hinc tam
facile liquecimus in ploratum. Et quanquam
quoddam doloris genus sit, tam seuerum atq; rigi-
dum, nulla vt vultus testificatione prodatur; ta-
men cordis gemitus singultusq; immanior est, quàm
si vberrimo erumpat imbre lachrymarum. Sic im-
potens sui dolor, intimas arrodit medullas, liberi-

Apoc.
Cap 3.

usq; regia pectoris in aula seuit, et triumphat. Sed
enimverò, Celo redditum, quis Tuum Perill: D.
inuideat Patruum? qui tam firmiter, in sacra sta-
tione, usq; ad deuexā vegetā tamen etatem, genti-
litiam fixit columnam, ut ab ipsis incunabulis, in-
gentibus turbinibus impetitus, nunquam fractus,
tandem ex hac mortalitate, victor abierit corona-
tus. Illud certè, quod Angelo Philadelphie Eccle-
sie promissum est premium, ut piè credimus, conse-
cutus est: Qui vicerit, faciam illum Columnam
in templo Dei mei, & foras non egredietur am-
plius. Nam quæ Angelo Laodicee Ecclesie di-
cta est, in illam nunquam impegit comminationē.
Siquidē tam alacriter, manū deuotas in obsequiū,
egenis accommodauit, tam feruenter cor laboriose
pietati addixit, tam Sanctè animū altaribus sacris
admoouit, et cōsecrauit, ut semper ardētissimo aestu-
aret igne charitatis. Felici igitur flexu, in Capito-
liū eternitatis, Illustr. Patruus Tuus spolijs ornatā
opimis transtulit Columnam; Teq; Perill: D. Sa-
crorum heredem meritorum, in partem sue vocat
glorie. Quare in verbis quidem tenuibus, magnas
Illustr. Patruus Tui Virtutes, solatium meroris le-
ge: meq; ut soles per benigno patrocínio Tuo, com-
plectere, fove, tuere.

COLVMA
OBORSCIANA.

IVGvbris iste funeris apparatus, quem
frequentes admodum Aud: mæstis:
Illustr: ac Rëndis: THOMÆ OBORSKI E-
piscopo Laodicen: Suffraganeo Cracouien.
de Ecclesia, Patria, Regibus Polonis, longè
meritissimo, officioso Supremoq; obsequio
exhibemus, iustissimum quidem dolorem,
Orationem porro breuissimam desiderat.
Quis enim tantam pietatem, tantum diuini
cultus promouendi Zelum, & ardorem, tam
infractum in sustinendis pro Ecclesiæ bono
labo-

laboribus animum, tantam in defendenda patria libertate fidem, & constantiam, tantam rebus in aduersis patientiam, in prosperis prudentiam, tam deniq; admirandam in Deum, proximumq; charitatem, cæterasq; eximias virtutes; quæ sunt propemodum innumerabiles, intra breuissimi temporis ægustias, cogere possit? Satis verò est, ad retinendum verum piùmq; dolorem, humanæ calamitatis atq; sortis; prouidam instituere commemorationem; quæ omnino tanta est, vt nulla Orationis vi, nullo cuiusquam Oratoris, fuerit ille licet eloquentissimus, verborum ambitu, comprehendere posse videatur. Nimirum mortalia cuncta rapida quadam vertigine voluuntur, nec in hac orbita sublunari, quicquam stabile, nisi instabilitas ipsa reperitur: vt mihi non imprudenter Heraclitus ille sensisse videatur, qui hanc vicissitudinem fluxam, mobilitatemq; rerum contemplatus, neminem eundem fluuium bis ingredi posse
affirma-

affirmauit. Quid verò Phænix Poetarum?
Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Et princeps ingenij doctrinæq; Plato,
quid aliud spectauit cum sapientiam, mortis
meditationem pronuntiauit? Et meritò qui
dem. Nam ea demum vera Sapientia est,
omnes humanas actiones, ipso fine ad quem
referuntur, prouidè prudenterq;, tanquam
regula quadam metiri; vt nec ab eo vnquam
dissentiant, nec iure ab ipsa conscientia repre
hendi possint. Huc igitur omnia studia, huc
omnes curas, labores, cogitationesq; nostras
Aud: mæstiss: dirigere ac digerere debemus,
vt viuendi curriculum, à summo moderato
re rerum omnium Deo, nobis concessum,
ita conficiamus fæliciter, vt tanquam ex æ
stuosa iactatione, atq; tempestate, læti & ala
cres, ad portū salutis penetremus. Hac equidē,
non Platonis, sed Christi Seruatoris Sapien
tia luculenter fuit imbutus Illustriss: Antistes
Laodicen: qui ita piè, iustè, temperatè, san
ctèq;

eteq; vixit, vt propter tantas, tamq; eximias
Virtutes, mori nunquam debuiffe videretur.
Sed tamen, postquam fatali necessitate Co-
lumna hæc subruta est, nobis nihil præter tri-
ste spectaculum, & minuta rudera mortali-
tatis reliquit. Et tamen si ille plenus dierum
meritorumq;, in hac Scæna fabulâ vitæ aptè
prudenterq; peregit, tamen nobis operæ-
precium est videre, ac serio contemplari, qui-
bus initijs ille gentilitiam suam ad immorta-
litatem erexit Columnam: vt intelligamus
hanc non penitus humi prostratam, vel in Ci-
neres redactam, sed potius ad æternitatē esse
translatam. Neq; verò quisquam à me
verbis lenocinantibus oblitam, & ad gra-
tiam aurium comparatam Orationem desi-
deret; cum præsertim hanc & luctus respuat,
& tempus ipsum, in tam præcipiti impetu
scriptionis nō admittat: rerum duntaxat mo-
menta proponam, vos ea mæstiss. Aud: æ-
quissimis iudicijs, quæ vestra est prudentia,
penditore.

Ac

Ac inprimis in hoc gráuíssimo vestro cōflu-
xu, Aud. mæstis. relinquo illud crepitacu-
lum vanitatis, quod alij studiosius ad auriū
titillationem admovent, generis nimirum
antiquitatem; quam siue nostratium res ge-
stas, siue exterarum nationum origines inspi-
cere voluerimus, satis fuisse meritis inuenire-
mus gloriosam. Sed admittat qui volet, ad
huius stemmatis exaggerandum splendorem,
Hannonem siue *Hattonem* grandæuum sub
Miecislao Rege, à sede Apostolica ad Ar-
chiepiscopatum *Gnesnen.* missum: numerēt
longa serie *Timotheum Columnam* Episcopū
Posnanien. *Stanislaum Plocen.* vice Cancel-
larium *Semouiti* Mazouix principis, *Rosci-
slauum* bellatorem ac victorem in summo discri-
mine fortissimum: excutiant alij gentis To-
gatae annales, atq; deducant laborioso con-
signatam stylo Columnarum in Latio poten-
tiam: respiciant alij CAROLI V. Columnas
ad duo promontoria, Africæ & Europæ ere-
ctas

B

Paprec
An. D.
697.

A. D.
1218

Paulus
Iouius
invita
Pompe
ii Colū
næ.

Hier.
Orosii
lib 5. de
gloria

Etas, quæ ambiciosa inscriptione *Plus ultra*,
illud Herculeum *Non plus ultra*, elidant &
eludant! nunquam tamen Illustriss. Episcopo
Laodicen. persuadere poterunt, vt antiquita-
te generis gloriari posse videatur: qui pro-
funda animi submissione, in fluxarū rerū cō-
tēptu, & celestiū cōtēplatione fuit obarmat⁹.
Tanta enim est huius amplissimæ virtutis (vt
Siluensis ratiocinatur Episcopus) *quam hu-*
mitatem appellamus, altitudo, vt in cælum,
etiam penetret. Nam continet omnium Vir-
tutum decus & excellentiam. Primum enim
singulari Sapientiæ munere continetur. Cum
enim fragilem hominum naturam, fluxam &
caducam vitæ conditionem, humanarumq; re-
rum varietatem, & inconstantiam animo re-
putantes, & hominum insigni fortuna floren-
tium miserabiles exitus, in memoriam reducen-
tes, omnibus corporis & fortunæ bonis omni-
no diffidimus, ita vt nunquam secundis rebus,
& ad voluntatem nostram fluentibus, extolla-
mur: tum maximè prudentiæ munere fruimur.

Nun

Nunquā enim Sapiens efferetur, nempe qui se natum hominem meminerit, atq; communi lege multis cladibus expositum. Deinde cum se ipsum agnouerit, nunquam alienum decus appetet; aut honorem parum sibi conuenientem usurpabit: quod ad Iustitiæ officium pertinet. Hinc etiam temperantiæ, atq; moderationis ornatus orietur. Qui enim imbecillitatem naturæ considerauerit, quamuis omnes opibus, & potentia vincat, nunquā insolescet, nec aliquid cum temeritate, & amentia geret, nec se cuiquam anteponet. At verò cum virtutes ita copulatæ sint, ut qui unam habuerit, opus sit reliquas omnes habere: & constet humilitatem, tres illas Virtutes esse complexam: consequens est, ut etiam cum alti & inuicti animi magnitudine coniuncta sit. Cum igitur humilitas sit affectio animi, parua & exigua de se ipso sentientis: & humilis ideò se non magnifaciat, quia maiorem quædam intuetur: restat ut intelligamus illum esse magno animo præditum, superbum autem, & insolentem, minuto & an-

gusto. Ergo ut Superbia nascitur ex animo ab-
iecto, & in terram demerso, ita humilitas or-
tum habet, ab animo magno, nihil, quod quidē
non sit, diuinis & aeternis opibus exaggeratum,
magnum & excelsum iudicante. O Cygneam
diuini Oratoris vocem! ô peraugustum veræ
humilitatis elogium! Hanc noster Antistes
integerrimus basim altissimam, virtutibus
substruxit omnibus, ac defixit, quò firmiùs
Columnam Sanctitatis erigeret, produce-
retq; ad Coronam. Hinc omnes humanas
opes, siue illæ ad corporis cultum, siue ad bo-
norum fortunæ vsum pertinerent, pruden-
ter respuebat: solius verò animi ornatum,
non cognitione, sed exercitio Virtutum fir-
mabat, temperabat: nihilq; in vita pulchrū;
nihil firmum, nihil excellens, iudicabat, quod
non sentiret esse claritate illa diuini luminis
illustratum. Quid dicam de laboribus assi-
duis, quibus vel ideo non fuit fractus, quia
constantiam roburq; adamantinæ columnæ

præ

præ se ferebat, in eis suscipiendis & superādīs?
Quare vt simul hunc aspexit, subito ingentes
in illo dotes suspexit, perspexit, & approba-
uit, prudentiss. PETRVS TYLICIVS, Epi-
scopus Crac. Oraculum illud Consi, Suade-
que medula; atq; post encomia industriæ, in-
tegritatis, prudentiæ, hunc constituit (obsi-
stentē certē ac inuitum) Suffraganeum Cra-
couien: demandans, vt securē illi prouin-
ciæ præesset, quæ iure hæreditario, illum Vi-
rum concerneret, qui Columnam fortissimā
non in stemmate solum, sed etiam in pecto-
re circumferret generoso. Quo quidem
in munere ac onere, non illi labor labes,
nec sudor fuit pudor, cum laboris Episcopa-
lis symbolum, violaceum quotidie intue-
retur colorem. An non singulare illud
laboris videtur argumentum, ad omnia,
imo & ad grandia in Ecclesia Dei in primis ne-
gotia, vnum ipsum suffecisse, nec cuiusquam
Vicariam operam desiderasse, nec iudicia ex

arbitrio interpretum, sed ex auctoritate Canonum instituisse, quasi integrū animo omnis antiquitatis Arcopagum possedisset? Et possedit quidem certè. Nam illum bonæ disciplinæ, ex asse hæredem fecerunt; seu mites quæ humanitatem & animi moderationem in vsum conferunt; seu graues, Iuris humani diuinique; arbitres; seu sublimes ille & perauguste, quæ mundi Cōditorem submissè contemplantur: imo omnes peramanē venerunt Camenē, quodāmodo ad Comitium in suo Comitatu, vt vnanimi suffragatione, in hac libera Rep. integerrimum equitatis arbitrum, prudentissimum Iustitiæ Antistitem, Vigilantissimum Religionis vindicem, salutarē. Quod non nemini fuisset alioqui periculosū, ab illo perfectū est, citra erroris metum: quia nullis tenebris infuscatus, nullo precio, nec precibus inescatus, supra gentilitiam Columnam, Solem Iustitiæ, *Sine Fine* radios spargentem, supplex venerabatur; ad illiusque gloriam

riam omnes suos dirigebat labores. Non enim hoc agendum, sudandumq; quî placeamus populo; at quî non omnino nos improbet, actionum nostrarû præsens speculator: & arbiter Deus. Hac via non nomini modò decus, sed etiam animæ salus paratur. O quoties hic vnus Hercules Ecclesiasticum humeris sustinuit Cælum, vt graui mole laborum, oppressi, numerosi quiescerent Atlantes! O quoties obstupuerunt longè lateq; & per inuia tesqua atq; senticeta dissitæ regiones, cū vltro citroq; commeantem, templa lustrantem, Chrismate Sacro fideles inungentem, spargentem vbiq; vberimam sementem virtutum ac meritorum, indeq; lucratum, non tam sui nominis famam, quàm Diuini Numinis ardentē flammam, in radicibus vitiorum exurendis occupatam, viderent! quasi *Sarmaticus hic Helias*, non alio, quàm hoc ignitę charitatis viatico, ad immortalitatem niteretur. Quid plura? summatim ceteras complectar virtutes, cum sit impossibile sin-

gulas numerando persequi. Itaq; præter vi-
tę innocentiam, perpetuamq; in Deum pie-
tatem, industria in agendo, celeritas in
conficiendo, patientia in perferendo,
mores præterea non minus faciles & a-
mani, quàm graues & sedati, sermo cuique
placidus, & multa humanitate temperatus,
nullaq; simulatione fucatus, cetereq; animi
& ingenij dotes, nonne omnibus illum cha-
rissimum gratissimūq; fecerunt? Tanto
studio coluit suauitatem, vt illi non deesset in
necessitate veritas: candorem mentis illumi-
nabat, potius quàm confundebat Orationis
simplicitas; lenitati nihil detrahebat auctori-
tas. Illa verò cui nota sunt? qualis fuerit illi
in verberibus & maceratione corporis fer-
uor, in ieiunijs rigor, in peregrinatione Roma-
na, quàm pedes instituit alacritas, in Orationi-
bus fundendis assiduitas, in meditationi-
bus perseverantia, in singulis ritibus obser-
uandis mirabilis attentio, quę frequentissi-

me

mè intimum Spiritum Compunctionis ir-
riguas resolvebat in lachrymas. O dul-
ces lachrymas pietatis! ô ambrosiam di-
uini spiritus pretiosissimam? ô suaues sin-
gultus, qui à fonte cordis vberrimè pro-
fluxistis? quales in secreto Cubiculo fui-
stis, siquidem tanto cum impetu, luce pa-
lam erupistis in hominum conspectum?
Volebat ille quidem Aud. mæstiss. sed mi-
nùs poterat, tantum celare thesaurum.
Nihil optabat ardentius, quam humanis
opibus spoliari, vt diuinis compleretur
bonis. Hæc illum cura sollicitabat, hic
ardor illius mentem inflammabat, hoc
desiderium, in lachrymis illum & fletu
versari faciebat. Qui quidem fletus non
est imbecillitatis, sed diuinæ argumen-
tū Virtutis: quam Vir desideriorum sen-
sit, & in hoc ergastulo cōstitutus, iam di-
uinæ beatitatis prælibauit voluptatem:
molestissimèq; tulit, sese corpore diuti-

C

us,

us, quasi quodam Tulliano detineri, &
non protinus ex ijs terrarum angustijs
in illam cælestem regionem euolare.
Quare longitudine dierum repletus (nā
Perillustrem Crac: Canonici auctoritatē
annis LV. Suffraganei verò per quam la-
boriosum munus, annis XXX. sustinu-
it) numerare potuit, Presbyteros à se sa-
cris ordinibus initiatos 2240. (quos per se-
xagenas 36. ad calculum vulgarem reuo-
care solebat) quod quidem est eximium
diuinæ benedictionis argumentum. Nā
sacri annales testantur *Eleutherium* in Pō-
tificatu vixisse annos XV. dies XXIII. fe-
cisseq; ordinationes tres mense Decem-
bri, nec nisi XII. Presbyteros creauisse:
Syluerium vero XIII. sed *Leonem* magnum
& *Felicem* non nisi IX. reliquisse: reliquos
nequaquam satis multos. Meritò igitur
Idea antiquorum Episcoporum, qui in pri-
mo flore nascentis, Ecclesiæ vixissent, me-
rito

ritò *Sarmaticus Boromens*, meritò sinceræ humilitatis & patientiæ exemplar; meritò iustus propositique tenax Antistes, prudentissimorum Virorum, vocibus est appellatus: qui etiam ex assè hæredem bonorum tanti honoris reliquisset Successorem: vt quasi parùm in vita laborasset, etiam post fata, officiosis in exēplis laboriosam ornaret palæstrā. Quapropter pro tantis vigilijs ac laboribus, erigamus illi Columnam, non tam, Pario ex marmore visu spectandam, quā in animis optimorū Ciuium perennem: ac potissimum illam, cuius ad basim hæret anchora, quæ Symbolum spei denotat, cum Epigraphe. *Quoniam confirmata est super nos misericordia tua Domine*, Regij psaltis Vaticinio comprobata. In qua enim Columna certius hic Antistes Vigilantiss: nisi in cruce Saluatoris (quæ est sacra anchora nostræ salutis) omnes

spes laborum suorum collocavit? Hac il-
le innixus, quasi hedera (sed felicior GVI
LSIANA) supra columnā tendebat in altum,
identidem ingeminans *Te stante Virebo.*
Hac innixus, plenus spei, plenus fidei,
plenus charitatis, nunc iam, meritò sibi,
Vitam beatam poterit polliceri, à stylo-
bata, certissimoq; salutis nostræ fulcimē-
to IESV CHRISTO recreatus, & illam
Epigraphen adiungere: *Sic immortalis sū.*
Siue quis malit, laureati triumphatoris,
duas vna manu sustentis columnas eri-
gere, addito emmate, licebit.

Τίποει
us in e
logijs

Mira fides lapsas releuat manus vna colūnas.

Hic enim Antistes grauissi-
mus, tanquam Monothetes prudentiss.
non minùs Religionem, quàm Remp. e-
laboratis consilijs sustinuit & firmavit.
Quod si Isocrati eloquentiæ magistro,
Columna decreta est, ab Atheniensibus,
quòd octo iam & nonaginta natus an-
nos,

nos ab institutione. iuuenum non quie-
uisset: Si itidem Athenis Ceramicum, o-
peribus Praxitelis nobilitatum, & Colu-
mnis fuisse traditur celeberrimum, quæ
in eorum memoriam erigebantur, qui
pro patria fortiter pugnando occubuis-
sent: Si Telesillæ Argiux Poetriæ, galea-
ta statua erecta est in columna, libris ad
pedes adiectis, quod viris in prælio cæsis,
fæminas in hostes armasset, animosq;
repressisset, nos luce veræ pietatis illustra-
ti, non augustiorem quàm aut superstitio
sæ antiquitatis, aut olim Traiani, aut Ha-
driani fuisset, Columnam erigemus,
quæ res gestas Illustriss: Prætulis apud o-
mnem posteritatem loquatur? Sed quid
testantia vultus marmora requirimus?
quid penicillo expressam effigiem atto-
niti intuemur? viuet, Illustriss: *Thomas*
Oborski, Episcopus Laod: Suffraganeus Crac.
in Ciuium animis, in Reip: monumentis,

in posterorum memoria, in annalibus, in
fastis; neq, vlla ætas vel adeò immemor
vel adeò ingrata erit, quæ optimi Præsu-
lis, nomen, virtutes; res gestas, non suspi-
ciat, non admiretur, non extollat, aut il-
lius præconia iusta prædicatione celebra-
re aliquândo cōticescat. Gloriosius igitur
in Prytaneo æternitatis, inter purpuratos
Indigetes diuinus præ læticia exultabit tri-
umphator, quàm ille Lyricus ostentator
ausus est:

*Exegi monumentum ere perennius,
Regaliqué situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum!*

Sed insuper illud omen Sanctius est,
quam vt mens nostra concipere possit:
quòd eo die hora ferè tertia, quo gratiss.
Hospes ad immortalitatē commigravit,
ex S. Leonis interpretatione Ecclesia,
communi voce cecinit, *Preiosa in conspe-*
ctu

Et Domini, mors Sanctorum eius: ut vel in-
de animæ, pretioso Christi sanguine re-
demptæ, certissimum arrabonem di-
uinitatis agnoscamus. Quam vero fu-
erit Magnæ Dei Matri, Principibusq; Apo-
stolorum, cæterisq; Patronis pergratus,
exitus ipse, mirabilisq; series beneficiorû
comprobauit. Nam à prudentiss. olim
PETRO MYSZKOWSKI, designatus est Can:
Crac: à Vigilantiss. PETRO TYLICKI Suffra-
ganeus creatus; tandem postridie Visit a-
tionis D. Elizabethæ, mortalitatis exuui-
as deposuit, & ipsa die Octaua Apostolo-
rum PETRI & PAVLI, tanquam Aaron in
monte Hor à Mose, à Perill: Nepote in Va-
uello conditus est: ut qui semper vberri-
mis perfusus lachrymis,, suspensum con-
templatus est, ad Columnam Crucis Sal-
uatorem, ante eundem æternum adora-
turus procumberet. Et quanquam Ve-
nerandus Senex, satis fortasse vixit natu-
ræ,

ra, satis virtuti, satis gloriæ; at quod maximum est, Ecclesiæ certè parum : quā tantis laboribus, ac meritis ornauit, tanta innocentia, pietate, fortitudine auxit, & illustrauit, vt immortalī vita, omnino dignus videretur. Enimuero mors integerimi Præsulis, quid aliud nisi via fuit ad vitam, & illam immortalitatem, quā beati, qui Dei opt. max. gloriam, insignib⁹ factis quæsierunt, sempiterno æuo fruantur, & consortio Simillimarum suimentium, incredibilem in modum æternū oblectantur. Ergo (quod nostrum maximum est solatium) similem vitæ posuit Columnam integerrimus THOMAS OBORSCIVS, vt castissimus Narniæ Episcopus S. CASSIVS, de quo S. GREGORIUS testatur, quod nullus pene dies vitæ eius abscedebat, quo omnipotenti Deo, hostias placationis non offerret: cui & concordabat vita: quia cunctæ aquæ habebat
in ele

S. Gr. h.
37. in E.
uan.

Et Dia.
l. 3. c. 6.
Et l. 4.
c. 56.

in eleemosynis tribuens, in hora sacrificij, totus in lachrymas diffuebat: demū natalitio Apostolorum die, quo singulis annis Romam venire consueuerat, cum missarum solemnia celebrasset, & corpus Dominicum, pacemq; omnibus dedisset, migravit ad Dominum. Obstupesco tantam paradigmatiſ cognationem, (quis enim mirabilē hanc Virtutum Symetriā, quis intimam cum sanctis Viris quā plurimis morum harmoniam, quis consonam ex hac vita, ad illam immortalem, & æternam cōmigrationem, siue dignitatem rerum, siue similitudinem operū, siue vitæ exactam rationem spectauerit, satis luculenter, verbis ad necessitatem, fluentibus, exprimere possit?) & in ipsius exaggeratione attonitus conticesco.

D I X I.

7. 11. 10.

